

R. 110.

58°

1738, 17.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOANNES FLORENS
RIVINVS

P. P.

LECTORI RENAVALIO
e s d
D. IOANNES FLORENS
RIVINAS
e s

Diuortiorum; quorum apud Romanos tanta
quondam fuit frequentia, vt non consu-
lum numero, sed maritorum, annos suos
numerarint, teste *Seneca de Benef. L. III.*
cap. 16. vniqa ex effato Saluatoris nostri
est causa, nempe adulterium *Mattb. V, 32.*
et XIX, 9. quippe quo vinculum internum
matrimonii, origine, et ex prima institutione indissoluble, rum-
pitur. Haec lex diuina vniuersaliter prohibitiua, eam solam ex-
ceptionem admittens, sancte stricteque custodiri, nec contra in-
tentionem proferentis, nouis accessionibus augeri ac immutari
debeat. Hoc circa in Concilio Arelatensi ex Augustini senten-
tia eo processerunt, vt innocentibus etiam maritis, qui coniuges
suas in adulterio deprehenderunt, autores suasoresque extiterint,
quo minus viuentibus vxoribus, licet adulteris, alias acciperent
in matrimonium: Nec non postea in Concilio Foroiuliensi pla-
cuit, vt resoluto fornicationis causa iugali vinculo, non liceat vi-
ro, quam diu adultera viuit, aliam vxorem ducere, sed saltim sepa-
rationem a thoro et mensa obtainere: Denique Concilio Tridentino
Seff. XXIV. c. 7. anathema indicatum ei qui dixerit: eccle-
siam errare, cum docuit et docet, iuxta apostolicam et euangeli-
cam doctrinam proper adulterium alterius coniugum matrimo-
nii vinculum non posse dissolui, et utrumque vel etiam inno-
centem qui causam adulterio non praebuit, non posse altero
coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, moecharique
eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quae dimisso adul-
tero alii nupserit. In foris tamen protestantium doctrina Christi,
diuortium totale, quo innocens pars in statum libertatis aequa ac
per mortem alterius restituitur, statuens, obseruatur. At Leges
seculi aliam dirimendi matrimonii causam eidem iuxerunt,
quam in malitiosa desertione se inuenisse putarunt, eandemque
necessarium et inuoluntarium diuortium, quod pars innocua non
tam faciat, quam patiatur, appellant. Ea in re Apostolum D. Pau-
lum *I.ad Cor. VII, 15.* interpretem doctrinae ac verborum Christi

assumunt, utque maius pondus sententiae suae addant, malitiosam
desertionem, quod aequo in fidem foederis connubialis desertor
quam adulterio peccet, adulterio aequiparandam esse sibi persuadent.
Contra quos tamen, quod coniugium quoad vinculum internum ex hac
causa dissolui iure nequeat, peculiari tractatu Rinthelii *Ant. a Mara*; nec non *Petr. de Toullieu Anteceffor Groning.*
oratione, de non solubili ob malitiosam desertionem matrimonio, anno vigesimo huius seculi habita, et in eiusdem colle-
ctaneis a Joanne Wolbers superiore anno editis p.497. extante,
defendit. Dicitum etenim Apostoli non indefinite, sed saltem
de persona infideli, nec de modo dissoluendi connubium ipsum
quoad vinculum internum dandaque deserto potestate noui mat-
rimonii ineundi, accipendum videtur, cuius doctrina potius eo
tendit: vxorem a marito infideli ad suae sectae homines rece-
dente, desertam, seruituti coniugali, quae alias sequelam obse-
quium et adiutorium ex pracepto diuino mulieri imperat, non
esse subiectam, neque teneri eandem quo in tenebris gentilissimi
cum eodem oberret suaque ipsius salutis aeternae periculo se
committat, quia fidem coniugalem praestari frustra sibi petit, qui
ipse eam non praestat c. 75. de R.I. in 6. Nec credendum, quod
Apostolus vagam illam diuortiorum licentiam, quam summus
Magister exclusis omnibus aliis, ad vnicam causam restrinxit, pro-
prio ausu augmentatione quasi suo ornare constituerit. Quum ipse
Saluator non sine consilio in decisione quaestionis tam arduae
verbis restrictiuis usus fuerit. Derisoriae mihi semper visae sunt
opiniones eorum, qui in enumerandis causis ob quas liberi a pa-
rentibus exhaeredari possunt, quatuordecim illis quae in *Nou.*
CXV. cap. 3. designantur, alias grauiores, aut similes, per interpretationem
comprehensiua admittunt. Etenim Imperator, qui in dicta Nouella necessarium esse perspexerat, causas ex quibus ingratiti-
liberi censeri, et in ultimis parentum tabulis exhaeredes scribi
decebant, nominatim speciali lege comprehendere, declara-
ta legislatoria voluntate, ut praeter ipsas nulli liceat ex alia le-
ge ingratitudinis causas opponere, profecto omnes, quocunque
nomine

nomine veniant, remouere voluit; alias, si arbitrio alieno aut iudicantium rem committere, et interpretationibus, quae alias in legibus poenalibus a communis dispositione recentibus exulant, locum relinquendum esse iudicasset sollicitudine easdem enumerandi, supersedere potuisset. Idem de desertione dicendum. Per desertionem vinculum saltem externum coniugii, quod in fide coniugali et obligatione de non derelinquendo consistit, dissoluitur, totalem tamen liberationem a lege initi matrimonii vel ideo operari nequit, quia alias infinitae aliae cau- sae ex quibus formalis ratio vinculi coniugalis externi, nempe vnius coniugum in mutuum amorem et adiutorium cessat, v. g. captiuitas, furor, relegatio, superueniens impotentia, per sententias eodem iure admitti possent. Ut taceam modum illum procedendi in foro ecclesiastico in causa non mere ciuili sed maxima ex parte spirituali, et vinculo diuino indissolubili- ter colligata, non adeo adaequatum videri. Siquidem perpetua incertitudo, an edictalis illa citatio ad notitiam absentis coniugis peruererit, adeoque an pro vero contumace haberit possit, quod tamen ad conciliandam firmitatem sententiae contra absentem latae, alias desiderari solet *L. 3. 4. 5. C. quom. et quando iud.* Interim processus desertionis receptus est in foris ecclesiasticis et quidem protestantium, non obseruato discrimine, an infidelis fidelem deserat, ad quem casum ius canonicum eundem restrinxit *c. 7. 8. X. de diuort.* Aliae ergo leges Christi aliae leges Seculi. Illae vnicce pietatem et animarum salutem curant, hae duntaxat ad promouendam tranquillitatem ciuilem adoptatae sunt, maiorisque mali evitandi causa saepe per- mittunt alias merito repudianda. Non tamen tam facilis ad eum processum instituendum patet aditus, sed, ne legitimum matrimonium temere tollatur, varia praestanda praecedere cir- cumstantiaeque sollicite indagari debent. Imprimis non quae- libet absentia pro temeraria reputatur atque sufficienti, sed de malitia desertoris et animo derelinquenti ut constet requiri- mus, idque ad sui perfectionem tractum temporis, adeoque

legalem causae cognitionem requirit. Finge igitur quod vxor,
cui cum marito nullae contentiones aut bella domestica inter-
cesserunt, quae vero temperamento melancholico afflita, per
tempus aliquod absit; eo certe casu non statim ad processum
desertionis prouolare poterit maritus, etiam si per aliquot
menses omni studio latitantem coniugem requisuerit, vel et-
iam publicis nouellis de eiusdem absentia conquestus fuerit.
Aut enim manus violentas sibi ipsi intulit misera coniux, et so-
lutum erit matrimonium morte, ita ut processu desertionis non
opus sit; aut fato quodam in alium quendam locum delata su-
perstes adhuc ignoratur, et casto animo ferendum ac preci-
bus emolliendum durissimum illud fatum, viarum diuinuarum
absconditarum indicium; eademque est pax ad quam sumus vo-
cati ab Apostolo, eodem loco ex quo hanc diuertendi causam
asserint. Quod si etiam vel maxime longo tempore in coelibatu
sit iacendum, forte tanta sua pertinacia preferendi ferocem
animum, fracturus tamen, videat, ne fortassis ad dissolutionem
properando, absenti iniuriam inferat, aut eius aequa ac suae
ipsiusmet conscientiae laqueum iniiciat. *Quid enim tam hu-*
manum est, inquit *Vlpianus L. 22. §. 7. n. sol. matr. quam ut*
fortuitis casibus mulieris maritum vel vxorem viri participem
esse. Credat iste maritus, se in statu poenitentium constitu-
tum, qui deliciis nouarum nuptiarum abstinere et ludicas vo-
luptates negligere iubeatur *c. 12. 13. C. XXXIII. Qu. 2.* Nec
enim coniuctus esse potest, hanc absentiam ortam esse ex odio
vel taedio coniugis, aut renunciare voluisse absentem amori
coniugali, deposita voluntate cohabitandi, praesertim si constante
matrimonio numerosiorem prolem edidit: Forte etiam non
diuortium sed frigesculum est. Requiritur vero ideo ut actor
causam absentiae malitiosam doceat, ne forsan, si coniux volun-
tate et consensu alterius coniugis discesserit, vel iustum aliam
voluntariam aut necessariam causam absentiae temporariae ha-
buerit, ac redux moram quasi purgauerit, publico scandalo tho-
ro connubiali exclusus, quasi viduatus obserret. *Quid igitur*
prope-

properet? quid festinet? det locum irae, det resipiscentiae. Quale vero spatum praesumtionem malitiosae desertionis operatur, quoque demum effluxo animus deserendi legaliter inferatur ex absentia? fluctuant Doctores. Alii biennium occasione *L. 2. C. de sponsal.* Alii tres peregrinationis annos vi *L. 2. C. de repud.* Nonnulli interuentum quatuor annorum, inter quos nullum sospitatis absentis haberi potuit indicium, moti *L. 7. C. eod.* vel quinquennium iuxta *L. 6. n. de diuort.* vel septennium intra quod certificari queat de vita et morte coniugis, licet super hoc sollicitudinem diligentem ad hibuerit, per *c. 19. X. de Sponsal.* imo quandoque lapsum decem annorum *Nou. XXII. cap. 14. c. VIII. X. qui fil. sint legit.* efflagitant, intra quae spatia coniux ad proprium thalamum remeare, aut mariti lares repetere, aut priuationi iurium matrimonii obnoxia esse debeat. Sed totum negotium, quatenus in contumeliam creatoris ius connubii solutum existimandum *c. 7. X. de diuort.* conscientiae primum desertae partis, post arbitrio prudentis iudicis relinquendum, qui dies expectationum vel augere vel minuere et coarctare potest. Ita vnius anni vel sex mensium spatum pro ratione eorum quae rem circumstant pro sufficienti agnouit Elector *Christianus II.* glor. mem. quod rescriptum ad Consistorium supremum emissum exhibit *Carpzon. Iurispr. eccles. L. III. def. LX. num. 18.* Nob. Dn. de Berger vero speciale a senatu ecclesiastico ad Vitembergense eiusdem tenoris datum, in *Elect. proc. matrim. th. L.* commemorat, qui hodie plerunque quadriennium definiri solere asserit. Nolo tamen has rationes, ne fortasse deserta pars, opportunum tempus nubendi amittat, aut periculo fornicationis exponatur, meas omnino facere. Etenim cupiditatibus carnis ieunio, laboribus, ac precibus frenum inicere assistente diuini numinis gratia possumus, at carnalis concupiscentia iusta tollendi sanctitatem vinculi coniugalnis causa venditari nequit, nec video quomodo tranquillus animo esse queat satis, qui terrenis remedis elidere cupit monitoria diuina. Apprime hoc quadrant verba *In-*

nocen-



P. 332.

nocentii III. in c. s. X. vt lite non cont. „tam diu alteruter coniu-
„gum expectet, donec de ipsius obitu verosimiliter praesumatur,
„quia cum sine culpa sit absens, aut aegritudine aut alio iusto
„impedimento forsitan teneatur, aut etiam propria sed non
„malitiosa voluntate in remotis partibus moram faciat, vt de
„facili vel in breui citari non possit, ei quidem praeiudicari
„non debet, cum habeat forsitan exceptiones legitimas ad inten-
„tionem contrariam elidendam, eo nequaquam obstante, quod
„de lapsu carnis possit opponi, quoniam in coniugio multi casus
„occurruunt, in quibus coniuges sine culpa, sed non sine casu cor-
„tinere coguntur. „ Eadem quae haec tenus deducta momenta,
vtrinque trutinata, commouerunt Ordinem nostrum, vt, cum his
diebus quibus praesentia scribo, eiusmodi casus tragicus a consi-
storio E. nobis oblatus decidendus esset, ad instantiam I. E. H.
cuius vxor nondum per annum absuerat, processum desertio-
nis non admittendum esse pronunciarit. Hoc praeferam ex-
cipiant nomina Nobiliss. Iuuenum, qui me Praeside publicas ad
Pandeictas disputationes in Auditorio ICtorum diebus Mercurii
aut Saturni a Libro XIV. vsq; XXI. respondendo ac oppo-
nendo proxime instituerunt, aut adhuc instituent. Sunt illi

Dn. IOHANNES ADAM IACOBI, Dresden Misn.

Dn. ADAMVS CHRISTOPHORVS KOCH, Ichstad. Thur.

Dn. CAROLVS CHRISTIANVS BVRCKHARDVS, Schleu-
sing. Henneberg.

Dn. CHRISTIAN. GODOFREDVS MEISNER, Cygn. Misn.

Dn. GODOFREDVS LVTHERO TH, Mulhusa-Thuring.

Dn. IOH. GEORGIVS SCHMIDEL, Byrutho-Francus.

Dn. CHRISTIANVS HAGENBRVCH, Longofal. Thuring.

Dn. IOH. GEORGIVS SPIZNER, Oberalbersd. Misn.

Ad quos conflictus GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS COM-
MILITONES, vt eosdem auditores concelebrent, humanissime in-
uitatos cupit Praeses. P.P. Fest. Trin. A.S.R. MDCCXXXIX.

LIPSIAE, LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

ULB Halle
003 935 574

3



56,

V D
18



58°

17 38, 17.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
D. IOANNES FLORENS
RIVINVS
P. P.